

tur, in quo veram et internam gratiam adjuvantem aut moventem declaret, aut satis indicet. Nam imprimis totus in hoc incumbit, ut vim naturæ in virtutum actibus ostendat, ut ex cap. 4, 18 et aliis colligitur; et ideo cap. 16 reprehendit eos qui dicunt: *Non possumus, homines sumus, fragili carne circumdamur, quia Deus impossibilia non jubet, nec quisquam melius quid possimus, intelligit, quam qui ipsam virtutem nobis nostri posse donavit.* Deinde cum multa documenta ad perfectionem comparandam Demetriadi tradat, sæpe inculcat Scripturarum scientiam, et lectionem, præceptorum Dei memoriam et considerationem. Unde cap. 23 sic inquit: *Quæ paranda sunt memoriam penitus insere, eaque jugi meditatione conserva, quæ maturanda sunt frequenter revolce, ut divinum hoc studium et celestis schola, et mores simul virginis ornent, et sensum, tradantque tibi cum sapientia sanctitatem.* Quod totum pertinet ad doctrinam, et studium humanum, supposita revelatione per Scripturas. Quo etiam pertinet illud cap. 26: *Propter quod maxime sanctarum tibi Scripturarum studium, etc.* Ad auxilium autem per exempla pertinet illud cap. 23: *Nunc te ordo instruat celestis historiarum; et infra: Nunc angelica, et apostolica perfectio te Christo in omnium morum sanctitate jungat.* Cap. autem 38 addit: *Ne dicas, grandis labor est, sed respice quod promissum est.* Quæ documenta, recte intellecta et servata, bona quidem sunt; tamen quod in eis humana industria et diligentia sufficere credatur, hoc in eis reprehenditur: unde vix necessitatem, vel utilitatem orationis inter illa documenta posuit, nam licet semel aut iterum orationem consulat, utilitatem tamen ejus non in petitione divini auxilii, sed in illo studio divinæ doctrinæ, vel recordatione præceptorum, aut promissionum Dei constituit. Unde in cap. 25 ait resistendum esse diabolo, faciendi Dei voluntatem, ut divinam mereamur gratiam, qua facilius nequam spiritui, auxilio Sancti Spiritus, resistamus. Explicans autem hoc auxilium in c. 27 ait: *Tunc senties quantum ad ejus amorem adjuvet te sapientia, et quantum sit in te divinæ legis auxilium,* in quibus omnibus nullum indicium veri interni auxilii reperitur.

19. *Verbotenus Pelagius circa efficacem magis quam circa sufficientem gratiam erravit, et re ipsa utramque sustulit.* — Atque ex his etiam intelligitur quod, licet in specie verborum Pelagius magis erraverit circa efficacem gratiam auxiliantem, quam circa sufficientem; in re

tamen æque in utramque impegisse, et utramque de medio sustulisse. Efficacem enim gratiam, qua Deus ita interius suadet, ut persuadeat, vel ita movet sensum, ut accommodet assensum, quam Augustinus vocat efficacem, altam, et secretam; hanc, inquam, gratiam efficacem omnino Pelagius negavit, non solum ut necessariam, sed etiam ut possibilem, quia putavit esse contrariam libertati; gratiam autem sufficientem verbis admittere visus est, quatenus dicebat Deum, sua revelatione, doctrina, vel lege, suadere hominem, et sufficienter ostendere viam salutis, ut possit homo consentire, si velit, vel dissentire, si nolit. Unde ut absolute velle possit, nihil aliud, præter legem et doctrinam, requirebat, et ita in re ipsa veram gratiam sufficientem internam negabat, nam hæc non est lex, nec doctrina, sed divina inspiratio, et spiritualis illuminatio, ut recte docuit Concil. Trident., ut infra videbimus.

20. *Dubiolum.* — Accedit quod etiam de illa qualicumque gratia, quam putabat Pelagius esse sufficientem, non credidit esse necessariam, sed tantum utilem. In quo non immerito aliquis hæere poterit, si illa gratia non erat aliud quam revelatio objecti fidei, vel divinæ legis, quomodo potuerit Pelagius negare esse necessariam; quid enim magis necessarium ad credendum, quam veritatis credendæ revelatio, vel magis necessarium ad bonum operandum, quam notitia legis? Sed esto verum sit non ignorasse Pelagium revelationem esse necessariam ad credendum, et notitiam legis ad servandam illam, nihilominus existimo dixisse illam gratiam esse tantum datam, ut homo facilius possit legem naturalem servare, et non peccare, et esse sanctus et innocens, quia licet nullam revelationem haberet homo, ac proinde non crederet, posset per rationem naturalem Deum cognoscere, et licet non haberet divina præcepta positiva specialiter tradita, posset, ut putabat, servare naturalem legem, per quam justificaretur apud Deum, quia *factores legis justificantur*, ad Rom. 2. Et consequenter, per easdem vires naturales, posset consequi vitam æternam: nam hæc promissa est servantibus mandata, 1 Matth. 19. Ad hos ergo effectus dicebat, etiam illam suam gratiam non esse necessariam, sed ad facilius operandum juvare. Et præterea, licet revelationem putaret necessariam ad credendum, et notitiam legis divinæ ad illam servandam, præter illam, nullam aliam gratiam requirebat, vel ut homo possit, vel ut velit credere, aut servare legem; imo neque de

facto putat dari aliam gratiam ad fidem, vel legis divinæ observationem etiam facilius præstandam, præter revelationem et doctrinam, ut declaratum est. Atque in his consistere videtur proprius error Pelagii contra divinam gratiam; in quo vero etiam cum Semipelagianis senserit, in cap. 16 explicabo.

CAPUT IV.

AN PELAGIUS NON SOLUM AUXILII GRATIÆ, SED ETIAM GENERALIS DEI CONCURSUS NECESSITATEM, AD HUMANAS ACTIONES NEGAVERIT?

1. *Pars negans suadetur.* — *Primo confirmatur.* — *Secundo confirmatur.* — Quæstionem hanc apud antiquos doctores disputatam non invenio, moderni vero illam agitare cœperunt. Et quanquam per se spectata ad disputationes de gratia pertinere non videatur, ad intelligendum quo sensu Patres, loquentes contra Pelagium, generales aliquas locutiones proferant, conferre potest, et ideo breviter inquirenda est. Et imprimis nullum apparet sufficiens fundamentum, ut hunc errorem Pelagii tribuamus. Nam D. Augustinus, accurate referens illius errores, nunquam dixit Pelagium, generalem Dei efficientiam cum omnibus causis negasse: ergo non est cur dicamus illam negasse; ergo neque verisimile est illam in operibus liberi arbitrii negasse. Antecedens notum erit legenti Augustinum lib. de Hæres., in 88, ubi dicit Pelagium negasse veram gratiam, qua salvamur, concessisse vero gratiam liberi arbitrii, seu creationis, et sub ea errorem suum occultare voluisse, ut latius dicit Epist. 95 et 105. Unde in Concilio etiam nunquam de hoc errore damnatus est, sed solum quod veram gratiam, quæ per Christum datur, negasset. Consequentia prima probatur, quia si in hoc Pelagius errasset, neque Augustinus omisisset, neque Concilia sine damnatione relinquerent. Specialiter autem probatur secunda consequentia, quia non est major ratio dependentiæ a concursu Dei in aliis agentibus aut facultatibus creatis, quam in creata voluntate: ergo si Pelagius in cæteris causis seu effectibus, Dei concursus non negavit, non est verisimile specialiter in operibus liberi arbitrii negasse. Eo vel maxime quod Augustinus nec generaliter de omnibus causis secundis, nec specialiter de voluntate creata hunc errorem in Pelagio notat. Et confirmatur, quia Augustinus aliis locis illum errorem sine ulla mentione Pelagii confutat, ut libr. 5 Genes. ad

litter., cap. 20. Ex quo etiam constat antiquorem esse errorem Pelagii, et ab illo diversum; unde confirmatur, quia licet Durand. in eo errore fuerit in 2, distinct. 1, quæst. 5, nec Pelagianus propterea censetur, nec simpliciter hæreticus: ergo error ille nec fuit Pelagii, nec est damnatus a Concilio inter Pelagii errores. Tandem confirmatur, quia alias, ex definitionibus Conciliorum contra Pelagium, non habemus veræ gratiæ necessitatem, omnes enim cludi possent, de adjutorio Dei per generalem concursum illas interpretando.

2. *Pars affirmans auctoritate fulcitur.* — At vero contrarium tenet et Bellarm., l. 4 de Grat. et lib. Arb., cap. 4; et Abul., Matth. 19, q. 178, ad 6, non solum docet Pelagium negasse necessitatem generalis concursus Dei ad bona opera liberi arbitrii, sed etiam illum concursus comprehendere nomine gratiæ, ut etiam ait q. 179, ad 7, quia gratis a Deo datur, unde sentit Concilia definitiva contra Pelagium, nomine gratiæ, hunc etiam concursus comprehendere. Omissa vero nunc hac posteriori parte, priorem indicat etiam Paulus Oros., Apolog. de Lib. arb., circa medium, dum ait Pelagium constituisse gratiam in solo libero arbitrio generaliter hominibus concesso, et de aliis causis dixisse, *Deum custodire naturam, quam semel bene disposuit, et elementariis cursibus constitutis, inde facere Deum, quæ facit.* Citatur etiam Hieron., qui in Epist. ad Ctesiph. his verbis refert Pelagii errorem: *Dei est gratia, quod propria nos condidit voluntatis, et libero arbitrio contenti sumus, neque ultra ejus indigemus auxilio, ne si indigerimus, liberum frangatur arbitrium.* Et infra dicit: *Dei potentia factos se esse jactant, qui nullius ope indigent.* Et iterum ait, Pelagianos ita posuisse gratiam in libero arbitrio, *ut non, per singula opera, Dei nitamur et regamur auxilio:* ubi nomine auxilii etiam generalem concursus comprehendere videtur, ac subinde asserere, illum etiam Pelagium negasse. Nam statim inducit Pelagium sacrilege (ut ipse ait) interrogantem: *Numquid si voluero curvare digitum, movere manum, ambulare, etc., semper mihi auxilium Dei erit necessarium?* Similem interrogationem habet l. 4 contr. Pelag., circa principium, cui cum Atticus, id est, Hieron., respondisset: *Juxta meum sensum non posse, perspicuum est, scilicet, hominem movere manum, aut calamum temperare sine adjutorio Dei; replicat Critobul., id est, Pelagius: Si absque Deo, et nisi per singula ille me juverit, nihil possum agere, nec pro bonis me operibus*

juste coronabit, neque affliget pro malis, sed in utroque suum, vel recipiet, vel damnabit auxilium. Ubi clare loquitur de auxilio bonis et malis operibus communi, quod non est, nisi generalis concursus. Objiciente autem Attico non ita esse datum nobis liberum arbitrium, ut per singula opera Dei tollatur adminiculum, respondet Critobul.: *Non tollitur Dei adjutorium, cum creaturæ in semel dati liberi arbitrii gratia consercentur.* Ex quibus verbis satis constat, negare Pelagium omnem alium Dei concursum, præter liberæ voluntatis conservationem.

3. Præterea, Augustinus nonnullis in locis vult, etiam bona opera naturalia divino adjutorio esse tribuenda: imo, licet male ab homine fiant, quatenus ipsa in se bona sunt, Deo auctore fieri. Sic l. 4 contr. Julian., c. 3, circa finem, cum dixisset misericordiam Dei per se ipsam naturali compassione bonam esse, illo tamen bono male uti qui infideliter utitur, et hoc bonum male facere, qui infideliter facit, adjungit: *Etiam ipsa opera quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis, ipsorum autem esse peccata, qui bona male faciunt.* Talia autem opera, ut bona sunt, non sunt a Deo, nisi per generale auxilium, seu concursum: ergo sentit Augustinus Pelagianos negasse talia opera esse a Deo, ac subinde negasse generalem Dei concursum. Et circa principium ejusdem capituli, agens de naturalibus virtutibus, et facultatibus bonis, dicit ad Julianum: *Quanto satius hæc ipsa in eis dona Dei esse fatereris, cujus occulto iudicio alii tardissimi ingenii, et ad intelligendum quodammodo plumbei, alii obliviosi, alii acuti, memoresque nascuntur, etc., quæ prosequitur ut concludat: Quanto ergo tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes divino muneri potius, quam eorum tribueres tantummodo voluntati? Priora vero bona naturæ non alia ratione sunt dona Dei, nisi propter generalem concursum: ergo saltem hoc modo vult Augustinus concludere contra Julianum virtutes morales esse dona Dei; ergo supponit Julianum negasse, hoc etiam modo esse a Deo, sed a nostra sola voluntate. Confirmatur hoc ex eodem Augustino, Epistol. 130 dicente: *Licet Polemones, hortatu Xenocratis, a vitio libidinis revocatus, non Deo fuerit acquisitus, sed tantum a dominatu luxuriæ liberatus, tamen ne ipsum quidem, quod in eo melius factum est, humano operi tribuerim, sed divino. Ipsius namque corporis, quod est infimum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma, et vires, et sa-**

lus, et si quid ejusmodi est, non sunt, nisi ex Deo creatore, ac perfectore naturæ; quanto magis animi dona donare nullus alius potest. Hæc autem corporis bona a Deo solum sunt per generalem concursum: ergo hoc saltem vult concedi Augustinus de bonis moribus naturalibus: ergo e converso hoc etiam videntur negasse Pelagiani, dixisseque Deum esse factorem humanæ naturæ, non vero perfectorem. Et hoc etiam indicat libr. de Grat. Christi, cap. 3 et 6, ubi refert Pelagium solam possibilitatem dixisse habere nos a Deo, non voluntatem, vel actionem, quia non credebatur Deum esse cooperatorem nobiscum.

4. *Ratione etiam fulcitur.* — Ratione potest hæc sententia suaderi, quia hoc est consentaneum generalibus verbis Pelagii, et aperte sequitur ex fundamento erroris ejus. Utrumque ostenditur ex decimo ejus articulo, damnato in Concilio Palæstino: *Non est liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio.* Hæc enim verba absoluta et indefinita, liberum arbitrium, tam in rebus divinis, quam in moralibus, et naturalibus operans, comprehendunt, imo tam bene quam male operans: ergo in omnibus negavit necessitatem auxilii divini, et nomine *auxilii* omnem Dei influxum, omnemque cooperationem, etiam per generalem concursum, comprehendit, quia in naturalibus, et præsertim in malis, nullum aliud auxilium creditur necessarium: unde cum in eodem articulo subjungit: *Quoniam in propria voluntate habet unusquisque facere, vel non facere;* exclusivam notam subintellexisse videtur, utique in sola propria voluntate, quæ in suo velle libero non potest ab alio dependere, nam hic sensus necessarius est, ut ex illa causali propositione altera pars inferatur: unde fundamentum illius fuit, dependentiam ab auxilio alterius, etiam ipsius Dei, repugnare libertati arbitrii. Quod fundamentum, si verum esset, æque procederet in omnibus operibus voluntatis, etiam naturalibus et malis, quia, servata proportione, similis est dependentia naturalium voluntatum a concursu generali, dependentiæ supernaturalium a concursu gratiæ: unde fere eadem difficultas in conciliando usu libero morali cum præscientia, et providentia, et concursu generali, quæ in concordia gratiæ cum libero arbitrio invenitur, ut postea videbimus: ergo si Pelagius, hac difficultate superatus, negavit gratiam, ne libertatem negaret, eadem etiam negavit concursum generalem cum libero arbitrio, ne illud in naturalibus actibus tollere videretur.

5. *De cæteris etiam causis secundis sensisse Pelagius videtur non egere concursu primæ.* — Hinc ergo ulterius potuit, et debuit Pelagius progredi, et eandem independentiam a Dei concursu in actionibus naturalium causarum ponere. Nam, licet ratio libertatis in aliis non inveniatur, aliunde potest sufficiens æquiparatio fieri. Si enim voluntas creata, etiamsi sit causa secunda, non pendet in sua operatione ab actuali influxu causæ primæ in suam actionem, recte sequitur causam secundam, habentem proximam virtutem sufficientem in suo ordine ad suum effectum, posse illum efficere sine actuali concursu causæ primæ in eadem actionem, quia, licet voluntas propter usum libertatis putetur magis indigere hac exemptione (ut sic dicam), si tamen illam habet, non est quia est libera, sed quia virtutem habet sufficientem ad suam actionem; unde non minus in naturalibus actibus, seu necessariis, quam liberis illam habebit: ergo etiam aliæ causæ secundæ, licet naturaliter agant, quia virtutem proximam sufficientem habent in suo ordine, eandem independentiam habebunt: ergo verisimile est ita de omnibus causis secundis Pelagium sensisse, earum nimirum actiones non esse immediate a Deo, sed tantum mediate, quatenus dedit virtutem agendi, et illam conservat; sicut Durandus sensit.

6. *Didaci, Alvarez et aliorum opinatio de Pelagio in hoc puncto.* — In hoc puncto, dicunt aliqui Pelagium ad actus ordinis naturalis non negasse influxum Dei cooperantis, seu concurrentis cum causis secundis, propter ea quæ priori loco posuimus. Addunt vero negasse, esse necessarium Dei adjutorium, quo præmoveret et operatur, seu præoperatur, ut operemur, ita enim loquuntur. Et hoc posterius colligunt ex verbis Hieronymi in dicta Epistola ad Ctesiphont., ubi Pelagium introducit adversus Deum se extollentem, et dicentem: *Recede a me, quia mundus sum, non habeo te necessarium: dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut faciam quod voluero; quid rursum te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris?* Intelligunt enim his verbis voluisse negare Pelagium, non concursum concomitantem, sed quoddam prævium adjutorium, quo Deus virtutem creati arbitrii, etiam in naturalibus, complet, et applicat ad exercitium actus. Et ad hunc sensum trahunt verba Hieronymi.

7. *Refellitur.* — Verumtamen, si solum illud complementum ad actus naturales negasset Pelagius, non esset cur in eo reprehenderetur,

quia verum quidem est illam præviam applicationem, seu complementum, non esse necessarium in causis secundis naturaliter operantibus ut principalibus causis proximis suorum effectuum, nam ad illos habent sufficientem et completam virtutem in suo ordine causarum secundarum, solumque indigent generali influxu et cooperatione Dei, ut in lib. 1 et 2 de Auxiliis, ex professo probavimus, et infra in libro tertio iterum dicemus. Nec etiam voluntas ratione suæ libertatis indiget illo complemento, ex parte suæ virtutis naturalis ad actus illi proportionatos, quia neque propter libertatem habet in suo ordine virtutem minus completam, quam aliæ causæ naturaliter agentes, nec illud complementum per modum applicationis ad exercitium inservit usui libertatis, sed potius illum impedit, ut eodem libro dicemus. Nec ex verbis Pelagii, quæ Hieronymus refert, sensus ille colligitur, ut statim ostendam. Neque testimonia Scripturæ, quæ Hieronymus inducit ad illud dictum Pelagii impugnandum, illi sensui deserviunt, ut est illud Psalm. 24: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos;* et Jeremiæ illud capite decimo: *Non est in homine via ejus, et a Domino gressus ejus diriguntur,* ut etiam dicitur Psalmo 36. Hæc enim et similia a nemine intelliguntur de complemento virtutis ad agendum, quo indigeant causæ secundæ, sed de peculiari gubernatione divina, qua omnia quæ creavit, gubernat et administrat, et specialiter res humanas regit, aut prævenit, ordinando, aut permittendo, et cum omnibus, juxta operis qualitatem, concurrente. Et hæc est maxima dependentia, propter quam oramus, et petimus ut nos Deus regat, et dirigat maxime in operibus bonis, et in cavendis malis, eorumque occasionibus, et causis etiam extrinsecis præveniendis, et tollendis. Hoc autem genus providentiæ, et dependentiæ nostrarum actionum ab illa necessarium omnino est, sive illud adjutorium, seu prævium complementum virtutis naturalis ponendum sit, sive non. Nam etiamsi illud admitteretur, daretur per modum generalis concursus, et tanquam debitus singulis agentibus, hoc vel illo modo applicatis; unde non aliter esset necessaria oratio propter illud, quam propter concursum concomitantem, neque magis propter unum quam propter aliud dicitur Deus actiones nostras dirigere aut regere. Denique ad hoc regimen necessarium non est illud genus auxilii per modum complementi virtutis propriæ, ac per se, et physice activæ in naturali-

bus, sed ut intrinsicum, et connaturale ipsis causis secundis, earumque virtutibus dari potuit.

8. *Questionis expeditio.* — Mihi ergo imprimis videtur, si Pelagius negavit necessitatem auxilii divini, physice et proprie coefficientis in nobis, vel nobiscum actus naturales, non aliud quam concursum generalem ad actus naturales liberi arbitrii negasse; neque hoc esse alienum a verbis ejus, licet incertum. Probo singulas partes, et primam quidem ex dictis probatam suppono, quia ad singulos actus ordinis naturalis voluntatis non est necessaria alia efficientia Dei, propria, et per se in ipsam voluntatem, vel actum ejus, præter efficientiam Dei cum voluntate ejusdem actus et actionis, in qua consistit concursus generalis, et simultaneus: ergo si Pelagius aliquam talem efficientiam negavit esse necessariam ex parte Dei, de illo concursu intellexit. Quod etiam indicant verba quibus Hieron., Dialog. 4 cont. Pelag., parum a principio, hanc eorum argumentationem refert: *Si in hominibus ille cooperatur, non est meum, sed ejus, qui adjuvat, etc.*, ubi verbum cooperandi auxilium simultaneum indicat. Et ex parte sequenti hæc confirmabitur.

9. Altera ergo pars probatur, quia Pelagii verba: *Nisi tu in me tua dona compleveris, non solum intelliguntur de complemento virtutis in actu primo, ut sic dicam, sed maxime de complemento donorum in actu secundo, seu per actualem efficientiam ipsiusmet voluntatis seu volitionis: nam alia verba, Recede a me, omnino remonent Deum tanquam necessarium ut voluntas compleatur, sive in virtute volendi, sive in ipso velle. Item illa, Non habeo te necessarium, conjuncta sequentibus, ut faciam quod voluero, plane excludunt omnino Deum, sive ut cooperantem, sive ut consummatorem virtutis volendi. Nam si Pelagius crederet ad volendum esse necessarium Deum, saltem ut coagentem voluntati, non posset absolute dicere Deo: Recede a me; aut, non habeo te necessarium; aut, quid rursum te ingeris? Ergo cum Hieronymus tradat Pelagium ita exclusisse necessitatem divini auxilii, ut verba illa virtute saltem protulerit, profecto non est improbabile ita sententiam illius intellexisse. Et ita, cum subdit Pelagium quasi irridendo dixisse: Si voluero curvare digitum, movere manum, etc., semper mihi auxilium Dei necessarium erit? de omni auxilio etiam per modum generalis concursus id intellexisse videtur: unde in Epist. ad Demetriad. ait homines sine Deo*

operando, virtute ostendere, quales a Deo facti sunt, quasi sola sua virtute sine ullo Dei concursu id faciant. Eodem modo August., dicta Epist. 106, circa finem, refert hunc errorem: Non esse liberum arbitrium, si Dei indiget auxilio, quoniam in propria voluntate habet aliquis facere, vel non facere. Inferius vero contra Pelagium ipse subdit: Fateatur esse liberum arbitrium, etiamsi divino indiget adjutorio. Et lib. de Gratia Christi, cap. 3, de Pelagio inquit: Voluntatem, et actiones nostras esse asserit, atque ita nobis tribuit, ut non, nisi a nobis, esse contendat. Et in cap. 6 ait Pelagium negasse Deum cooperari homini, cum operatur. Idem significat Paulus Orosius, lib. de Arbitrii libertate, quem contra Pelagium Augustini et Hieronymi temporibus scripsit: nam circa medium illius ait, illum negasse non solum illam gratiam quam Deus largitur Ecclesiæ suæ, sed etiam generalem cooperantem gratiam, quam Deus quotidie, per dies et momenta, cunctis et singulis ministrat; ita enim appellat generalem concursum. Denique D. Thom., etiam in 2, distinct. 28, quæst. 1, artic. 3, in corp., ait, si gratia sumatur pro divina voluntate gratis in nobis omnia bona causante, non posse hominem sine illa implere præceptum, etiam quoad substantiam. Quod intelligit D. Thom. de concursu Dei generali, ut in art. 1 aperte declaraverat. Et tamen subdit in eodem art. 3: Et ideo Pelagius erravit, qui simpliciter impleri præcepta legis posse sine gratia posuit. In quibus verbis aperte sentit Pelagium etiam concursum Dei generalem negasse: unde probabilis satis est hæc sententia. Est tamen incerta, tum propter argumenta priori loco posita, tum quia ille error Pelagii non confutatur a dictis Patribus, ostendendo necessitatem generalis concursus Dei, sed ostendendo dependentiam liberarum actionum a regimine divinæ providentiæ gratuitæ et voluntatis circa singula opera: potuit autem Pelagius negare necessitatem hujus specialis auxilii, etiamsi generalem concursum non negaverit. De hoc ergo puncto, et quid Pelagius de generali concursu senserit, nihil definite asserimus, quia, ut dixi, non satis constat, neque etiam ad veram doctrinam de gratia tradendam censeo esse necessarium.

10. *Regula ad Sanctos Patres exponendos, dum de gratia loquuntur contra Pelagium.* — Ne tamen aliquisumat occasionem errandi in exponendis Patrum vel Conciliorum definitionibus, adverto eos, dum contra Pelagium pu-

gnant pro necessitate gratiæ, de propriissima gratia, ut est supernaturale donum, non debitum naturæ, loqui, non proprie ac per se de concursu generali. Hoc patet ex dictis supra cap. 3, et ex testimoniis Scripturæ, quæ contra Pelagium Patres et Concilia adducunt. Quapropter, si generalius interdum exponantur, ita sunt accommodanda concursui generali, ut gratia propria non excludatur. Hoc declaro ex D. Thom. in 2, d. 28, quæst. 1, art. 1, ad 3, ubi, tractans verba Augustini, *Nemo potest aliquid bonum velle, nisi juvetur a Deo*, l. 1 ad Bonif., cap. 3, illa imprimis explicat de adjutorio generalis concursus, dicens: *Quod Deus non tantum nos juvat ad bene agendum per habitum gratiæ, sed etiam interiorius operando in ipsa voluntate sicut in qualibet re operatur*, licet postea etiam explicet de auxilio gratiæ et bono meritorio. Idemque D. Thom., Joann. 15, lect. 1, cum partitione accommoda exponit verba illa: *Sine me nihil potestis facere. Opera enim (inquit) nostra aut sunt virtute naturæ, aut ex gratia divina. Si virtute naturæ, cum omnes motus naturæ sint a verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri potest sine ipso. Si vero virtute gratiæ, cum ipse sit auctor gratiæ, nullum opus meritorium sine ipso fieri potest.* Et aliqui theologi ita intellexerunt canon. 7 Concil. Araus., ut ibi Carranza refert in Summa Conciliorum, quod ille non reprobatur, licet aliam expositionem magis probet, de quo canone infra videbimus.

11. *Exemplo probatur prædicta regula.* — Possumus etiam in exemplum afferre decimam propositionem in Conc. Palæstin. definitam contra Pelagium, *liberum esse arbitrium, etiamsi divino indigeat adjutorio*: illa enim universalis est, et cum proportione ad naturale et supernaturale adjutorium in diversis operibus liberis applicanda; tum quia verba generalia sunt; tum etiam quia propositio lata est in sensu contrario et proportionato ad refellendam propositionem Pelagii. Præterea Hieronymus supra, contra Pelagium objicit verba Jacobi 4: *Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut crastinum ibimus in illam civitatem, etc.*, pro eo, ut dicitis, *si Dominus voluerit*, ubi clare loquitur Jacobus de dependentia, quam a Dei voluntate et providentia habemus, etiam in naturalibus operibus, quæ solum ex generali concursu, ac providentia pendent. Sic etiam dicere solent Patres, pluviam esse donum Dei, juxta illud: *Et pluit super justos et injustos*, cum tamen donum illud ordinarie

sit ex generali providentia, et cum generali concursu causarum, licet interdum ac sæpe possit ex speciali Dei voluntate fieri, etiam cum immutatione generalis concursus causarum. Quoties igitur verba Patrum generalia sunt, cum proportione possunt ad actus naturales et supernaturales, et concursum generalem vel specialem applicari. Quando vero de auxilio gratiæ tractant, cum proprietate de vera gratia et speciali beneficio intelligenda sunt, juxta superius dicta. Idemque est quando in particulari loquuntur de Spiritu Sancti inspiratione, illuminatione, vocatione, vel similibus terminis, qui speciales modos, seu species propriæ gratiæ significant, ut in concursu materiæ latius dicemus.

CAPUT V.

QUÆ FUERIT SENTENTIA ERRORVE SEMIPELAGIANORUM, ET QUI EJUS AUCTORES VEL SECTATORES?

1. *Unde sumpserint Semipelagiani errandi occasionem, narratur.* — Proponitur eorum error. — Hujus erroris notitiam omnium Prosper Aquitanus, et Hilarius Arelatensis in Epistolis ad Augustinum, nobis tradiderunt. Cum enim Augustinus, in libris contra Pelagium pro gratia Dei pugnando, non solum necessariam esse ad pie et sancte vivendum, sed etiam omnino gratis dari, nullumque humanum meritum illam antecedere docuisset, eo tandem pervenit, ut ad solam divinam electionem et prædestinationem totum humanæ salutis negotium revocare videretur. Unde factum est ut aliqui occasionem sumpserint errandi, et dicendi per prædestinationem, et reprobationem sublatum esse liberum arbitrium, et ideo solam gratiam sine diligentia, vel labore ex parte hominis, sufficere ad illius salutem. Aiebant enim, nec pie viventibus prodesse opera, si reprobat sint, nec prava opera obesse peccantibus, si sint prædestinati, ut refert Sigibert. in Chron. ann. 415, ubi etiam ait hos sumpsisse occasionem errandi ex scriptis Augustini contra Pelagianos. Hanc ergo hæresim, quæ Prædestinatorum dicta est, simul cum Pelagiana abhorrentes multi catholici in Gallia, ut mediam viam inter utramque tenerent, necessarium putarunt aliquid tribuere soli libero arbitrio, in quo prædestinatio totusque gratiæ effectus initium et fundamentum haberet: unde qui sic senserunt, cum in aliis a Pelagio discede-